6
11 E
34

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 I
29

6-11-E-34-

6-12-A-34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliotheca Colbertina

VITA SVGERII
ABBATIS SANCTI DIONISII

QVI PRÆCIPVA FRANCIÆ NEGOTIA REGNANTIBVS LVDOVICO VI. ET LVDOVICO VII. ADMINISTRAVIT.

Auctore WILLELMO eiuſdem cœnobij Monacho & SVGERII contubernali.

EX VETERI CODICE MS.

FRANCISCVS DV CHESNE, Hiſtoriographus & Geographus Regius.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EMISIT.

BIBLIOTHECA S. PETRI AD VINCULA

LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud HIEREMIAM BOÜILLEROT, viâ Calendeâ ſub ſigno Sulmonis propè Palatium.

M. DC. XLVIII.
Cum Approbatione & Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISIMO
VIRO
PETRO SEGVIER
FRANCIÆ CANCELLARIO.

SI te vnum delegi, cui ſapientis & fidelis Miniſtri effigiem offeram, (CANCELLARIORVM MAXIME) id, eo ſanè libentius facio, quod nullibi tutius eſſet poſſit, quam apud eum qui LVDOVICOS, vt ille, ſapienti Miniſterio tutus eſt, & tuetur: Ille quidem dum viueret, LVDOVI-*CVM VI. & LV*DOVICVM VII. *tu verò LVDOVICVM XIII.*

& LVDOVICVM XIV. potentiſſimos Galliarum Reges. Succincta eſt illa effigies venerabilis SVGERII Abbatis ſancti Dionyſii vita, quam ſcripſit eruditus eiuſdem Monaſterii Monachus, SVGERII contemporaneus, & contubernalis, Heroicarum illius omnium actionum teſtis oculatus; & hoc quidem opus multis annis neglectum & tenebris penè inuolutum fuit; eſſet que adhuc, niſi diligenti parentis mei perquiſitione repertum, tandem aliquando proditurum in lucem, tranſcriptum fuiſſet. Quapropter ego, qui paternis veſtigiis inſiſtens, eius elucubrationes publici iuris facere cupio, & in Gallicanæ Hiſtoriæ ſcriptores, quos viginti quatuor tomis complectis in animo habuit, quotidianis vigiliis incumbo, nec ignoro quanti, non apud nos tantum, ſed apud exteros etiam, ponderis ſint SVGE-

RII Abbatis virtutes & merita, facilè perſuaſus ſum hoc CELSITVDINI TVÆ opuſculũ conſecrare, cum certiſſimum ſit te non ſolum eas imitari & adæquare, ſed etiam Conſilio prudentia, & fide ſuperare Illuſtris huius SVGERII Abbatis actiones quantæ quantæ ſunt FRANCIÆ debentur, cuius in theatro in omnium oculis elixère, tibi verò iure præcipuo, tanquam primitii arboris fructus, cujus truncus & radix, omninò tua ſunt velit ergo CELSITVDO TVA, (vir integerrime) SVGERIVM Abbatem hodiè renaſci, vt in tuorum numerum adſcribatur; patiaturque illum ſibi offerri ab eo qui eſt.

CELSITVDINI TVÆ.

Deuictiſſimus, & Addictiſſimus cliens
FRANCISCVS DV CHESNE.

VERSUS IN LAUDEM SUGERII ABBATIS.

MAGNE SUGERE, *Pater, cui ſummus apex meritorum*
Inter præcipuos dat loca prima Deos.
Carmen ab incudi nouiter tractum tibi dono:
Scripta, precor, limâ corrige noſtra tua.
Sint inculta licèt, ſint vilia, ſint malè compta,
Tu precioſa tamen cùm legis illa, facis.
Laudes ergo meas de laude tua precor audi.
Incitat ad laudem me mea Muſa tuam.
Cùm Natura parens rerum benè cuncta crearet,
Te mirabiliter condere diſpoſuit.
Cumque rudi de materia ſint cetera tracta,
Te Dea de maſſa nobiliore tulit.
Artificiſque diu dubium fuit in ratione,
Vtrum mortalem, ſiue Deum faceret.
Maſſa valens operi ſic conueniebat vtrique,
Vt vel poſſet homo, vel Deus hinc fieri.
Feciſſetque Deum Dea ni ſuperi vetuiſſent.
Quorum conſilio quod facit omne facit.

Pertimuêre quidem, ne ſi totus Deus eſſes,
Deprimeres alios, mira patrando Deos.
Inuidiâ tandem Superùm permixtus vtroque,
Semiuir efficeris ſemideuſque ſimul.
Dimidium maßæ tecum retinens in vtroque,
Nec vir es abſque Deo, nec Deus abſque viro.
Ex alio diuina cupis, diuináque tractas,
Et quæ ſunt hominis perficis ex alio.
Eſt ex diuina natura, quòd tibi cælos,
Cælorumque Deos pingis in Eccleſia.
Eſt ex humana, quòd regnum protegis armis,
Augeturque tuis publica res ſtudÿs,
Et nunc ſemideus in Templo cælica tractas,
Nunc vir in bello fortia facta geris.
Sic hominis cauſamque Dei moderans in vtroque,
Vt res illa Deo congruat, hæc homini.
Qui dum Francorum populos cum Rege gubernas,
Poſt Regem quaſi Rex ſceptra ſecunda tenes.
Nec magnum quidquam ſine te Rex perficit vnquam,
Nec quidquam magnum tu ſine Rege facis.
Tanta duobus ineſt vobis concordia facti,
Vt neuter facto diſcrepet alterius.
Alter in alterius ſic eſt deuinctus amore,
Alterius quaſi cor pendeat ex alio.
Denique Roma potens, cui totus flectitur Orbis,
Flectit ad obſequium colla ſuperba tuum.
Nec plus Cæſaribus magni concedit honoris

Quàm tibi, Cæſarijs ſit licèt aucta bonis.
Ad nutum ligat illa tuum, ſoluitque nocentem,
Et quem iuſtificas non ſinit eſſe reum.
Quodque tuis titulis accedit, quidquid in Vrbe
Iuſſeris, infectum non valet eſſe diu.
Sic Rex, ſic Cæſar, ſic vnus ſemideorum,
Sic homo, plus homine, niteris eſſe Deus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VITA SVGERII ABBATIS SANCTI DIONYSII,

QVI PRECIPVA FRANCIÆ NEGOTIA REGNANTIBVS LVDOVICO VI. & LVDOVICO VII. adminiſtrauit.

Auctore G*VILLELMO SANCTI* D*IONYSII Monacho, & Sugerii ipſius domeſtico.*

GAVFREDO SVO, ſuus Vuillelmus.

QVONIAM te præſente nullum mihi tempus ad ſcribendum videbatur vacuum, poſt diſ-

ceſſum ſtatim memor precum tuarum, & meæ promiſſionis, arripui calamum, & inſtiti vt potui: ſcribere ſcilicet de SVGERIO noſtro aliquid, quod & tibi ſit gratum, & multis vtile. Quotiens enim viri illius venerandi mecum virtutes intueor, quotiens verborum recordor & operum; in exemplar certè mihi videtur editus, vt tam ex verbis eius quàm operibus viuendi formam ſucceſſura trahat poſteritas. Cuius quia vitæ aliquandiu tecum interfui, & ſecreta perſpexi, vereor ſatis ne ingratitudinis meritò arguar, ſi non ea quæ ad meam peruenere notitiam, quibus poſſum verbis extulero; maximè cùm & præter meritum vſus ſim eius gratiâ, & ſenſerim beneficia. Licet virtutum hæc ſit natura, vt latere non poſſint, etiam ſi conſciis omnibus ſilentium

liuor indixerit, & latuiſſe earum non ſit detrimentum. Veniet enim aliquando, veniet dies, qui abſcondita, & ſeculi malignitate compreſſa in lucem bona efferet. Vnum itàque à te oportet impetrem, ne in his quæ de illo memoraturus ſum certum aliquem me ſequi velis ordinem; cùm ſcribere popoſuerim prout mihi potuerint occurrere pauca de multis, vix aliqua de innumeris. quamuis omnia meliùs ipſe noueris, & à te potiùs iſta ſcribi opotuerit. Sed quia ita vis, quia præcipis, faciam vt potero, quia tibi nihil negandum æſtimo.

LIBER PRIMVS.

I. VIDETVR itaque vir iſte ad hoc diuinitus directus, vt non vnum tantùm cui præerat locum, ſed totum FRANCORVM illuſtraret IMPERIVM: ad hoc promotus, non vt vnum Monachorum genus, ſed vniuerſos Eccleſiæ Ordines ſingulariter ipſe proueheret. Illud ſi quidem de hoc viro mirari libet, quòd in tam breui corpuſculo talem natura collocauerit animum, tam formoſum, tam magnum: niſi quòd liquidè per hunc oſtendere voluit poſſe ſub qualibet cute animum latere formoſiſſimum, & quouis loco naſci virtutem; Et vt ſciremus breuitate corporis animum

non infirmari, ſed animi viribus, corpus ornari. Verùm quia falſam de illo opinionem in quorumdam cordibus cõualuiſſe ſcio, illud ſciendum, abſentem hunc & longè poſitum ad regimen vocatum fuiſſe, nil tale ſuſpicantem, ſed & acceſſiſſe inuitum. Nec illi reniti licuit, aut obſcurè vitam tranſigere, eò quòd in medium iam illum potuliſſet ingenii vigor & eruditio, vel magnorum virorum nobiles amicitiæ, immò quod ſupra hæc omnia eſt, diuina diſpenſatio, quæ hunc Eccleſiæ ſuæ vas in honorem præparauerat. Tanta enim illum notitia inuaſerat, vt etiam ſi in extrema reconderetur, priſtina tamen illum probitas demonſtraret, & virtutes proderent, in quibus à puero exercitatus fuerat. Tanta illum lux propter pri-

ma & integra conſilia circumfulgebat, vt quamuis vellet tenebas habere non poſſet. Mirabantur omnes animum in illo moderatum, excellentem, omnem tumorem ſeculi calcantem, & quicquid vulgus, timere ſolet vel optare ridentem, in mundo quidem conſtitutum, ſed meliore ſui parte cœleſtibus inhiantem.

II. Qui cùm præeſſet Monaſterio, præerat & Palatio; ſicque vtrumque diſpenſabat officium, vt nec illum à Clauſtri curâ prohiberet Curia, nec à conſiliis Principum hunc excuſaret Monaſterium. Hunc propter magnifica & recta cōſilia Princeps venerabatur vt patrem, verebatur vt pædagogum. Huic aduenienti aſſurgebant Præſules, & inter illos primus reſidebat. Nā quo-

tiens vrgentibus Regni negociis vocati conueniſſent Epiſcopi, conſulente illos Principe, hunc pro experta & probata prudentia vnum pro omnibus reſponſa dare vnanimiter compellebant. Verbis illius, vt de ſe Iob teſtatur, addere nihil audebant, cùm ſuper illos ſtillaret eloquium eius. Per hunc clamor pupilli, & cauſa viduæ, ingrediebantur ad Principem: & pro his quidem ſemper interueniebat, aliquãdo verò imperabat. Quis vmquam oppreſſus, & iniuriam ſuſtinens non hunc patronum habuit, ſi modò honeſta illius cauſa extitit? Cúmque ab eo iura dictarentur, nullo vnquam precio declinauit à recto, nullius perſonam reſpexit in iudicio, nec dilexit munera, nec ſecutus eſt retributiones. Quis talem in illo

non ammiretur animũ, cupiditatibus intactum, in media felicitate humilem, in ſeculi tempeſtatibus placidum, periculis interritum? Erat vtique maior, quàm vt tali conuenire corpuſculo crederetur.

III. Verum quia illuſtri viro ab æmulis humiltas obiicitur generis, non conſiderant cæci & hebetes, ad maiorem ill.us laudem pertinere, vel gloriã, ſuos effeciſſe nobiles, quàm naſci de nobilibus. Sed & Plato ait, neminem Regem non ex humilibus oriundum, neminem non humilem ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. Nobiles efficit animus, quem in hoc viro talem conſtat fuiſſe, vt hunc non immeritò deſcripſiſſe credatur, qui ait:
» Animus intuens vera, peritus fugien-

giendorum ac petendorum, non ex "
opinione, ſed ex natura precia re- "
bus imponẽs, toti ſe inſerens mun- "
do, & in omnes actus eius contem- "
plationem ſuam mittens, pulcher- "
rimus cum decore, cum viribus ſa- "
nus ac ſiccus, imperturbatus, intre- "
pidus, quẽ nulla vis frangere, quem "
nec attollere fortuita poſſẽt, nec de- "
primere. Hic profecto illius erat ani "
mus. Quotiens vir ſincerus ac purus "
& Curiam conatus eſt & omnem "
aminiſtrationem relinquere, vt ad "
ampliora ſecederet: ſed ſua, quæ "
hunc in altum miſerat, felicitas "
non permiſſit, nec eum paſſa eſt intra natalium ſuorum modũ ſeneſcere. quod ſibi, vt fatebatur, contigiſſe maluiſſet.

Cui cùm præcipua Regni incumberent negotia, à cultu tamen diui- IV.

no numquam illum occupatio vel publica vel priuata retraxit. Siue enim Fratrum ſynaxi intereſſet, ſeu cum domeſticis opus celebraret diuinum; non, vt quibuſdam moris eſt, tacitus pſallentes audiebat, ſed ad pſallendum ipſe vel legendum ſemper erat promptiſſimus. Quódque ſæpiùs in illo miratus ſum, ita quæcumque in iuuentute didicerat memoriter retinebat, vt in omni Monaſtico officio, ſe illi cõparare nemo valeret. Putares illum nil aliùd ſcire, nihil præter iſta didiciſſe; cùm in ſtudiis liberalibus adeò valuerit, vt de libris nonnumquam dialecticis ſiue Rethoricis ſubtiliſſimè diſſereret, nedum de diuinis in quibus conſenuerat. Nam ſcripturæ diuinæ ita erat lectione pleniſſimus, vt vndecúmque interrogatus fuiſ-

ſet, paratum haberet competens abſque dilatione reſponſum. Gentilium verò Poëtarum ob tenacem memoriam obliuiſci vſquequáque non poterat, vt verſus Horatianos vtile aliquid continentes vſque ad vicenos, ſæpè etiam ad tricenos memoriter nobis recitaret. Ita perſpicaci ingenio & felici memoriâ quicquid ſemel apprehenderat, elabi illi, vltra non poterat.

V. Quod cuncti norunt quid memorem, hunc videlicet ſummum Oratorem ſuis claruiſſe temporibus? Re etenim vera, iuxta illud Marci Catonis, erat vir bonus dicendi peritus. Tantam ſiquid in vtráque lingua &, materna ſcilicet & Latina, facundiæ poſſidebat gratiá, vt quicquid ex illius ore audiſſes non eum loqui, ſed legi crederes. Erat illi Hi-

ſtoriarum ſumma notitia, vt quemcúmque illi nominaſſes Francorum Regem, vel Principem, ſtatim eius geſta inoffenſa velocitate percurreret. Ipſe etiam Regis LVDOVICI ſplendido ſermone geſta deſcripſit, eiúſque filii itidẽ LVDOVICI ſcribere quidem cœpit: ſed morte præuentus, ad finem Opus non perduxit. Quis enim ea meliùs noſſet, quis fideliùs ſcriberet, quàm is qui vtríque familiariſſimus extitit, quem nullum ſecretum latuit? Sine quo nullum Reges inibant conſilium, quo abſente ſolitarium videbatur Palatium. Ex eo ſiquidem tempore, quo primùm Regiis eſt adhibitus Conſiliis, vſque ad vitæ illius terminum, conſtat Regnum ſemper floruiſſe, & in melius atque amplius dilatatis terminis, & hoſtibus ſub-

iugatis, fuiſſe prouectum. Quo ſublato de medio, ſtatim Sceptrum Regni graue ex illius abſentiâ ſenſit jacturã: vt pote quod nõ minima ſui portione, Aquitaniæ videlicet Ducatu, deficiente conſilio noſcitur mutilatum.

Inter reliquas virtutes, hoc Vir egregius habebat eximium, quòd ſi quis aliquando ſubditorum apud ipſum accuſatus fuiſſet, non ſtatim aurem accommodabat: ſed delatores vt prudentiſſimus habebat ſuſpectos. Indignũ judicans vltionem de quoquam petere, donec diligenti inueſtigatione in rem pleniùs fuiſſet inductus. Peccantes puniens non tam quia peccaſſent, quàm ne peccarent. Iam verò in vlciſcendo talem ſe exhibebat, vt nemo ſanus ambigeret, compatientem illum & VI.

inuitum vltionem exigere. Corripiebat vt Paſtor, condeſcendens vt pater. Officiales ſuos non facilè ab amminiſtrationibus amouebat, niſi certis & magnis extantibus cauſis, & culpis apparẽtibus. Dicebat enim nihil minus expedire reipublicæ, dum & hi qui amouentur quæ poſſunt auferant; & ſubſtituti, quia idem metuunt, ad rapinas feſtinant.

VII. At plerique vel ignari, vel æmuli qui hunc minus nouerant, egregios viri mores ſiniſtra interpretatione conabantur peruertere. Quia enim, iuxta Salomonem, erant verba illius vt ſtimuli, & quaſi claui in altũ defixi; itemque inſtar beati Iob, lux vultus eius non cadebat in terram; durum nimis æſtimabãt & rigidum, & quod erat conſtantiæ feritati deputabant. His verò, qui propiùs

acceſſiſſent, quíque illi familiariùs iungebantur, longè aliter apparebat. Verùm cùm eſſet circa familiares humanus ſatis & jocundus, numquam tamen illũ hilaritas reſoluit, ſicut nec triſtitia demerſit. Erat illius officium quod bonorum eſt parentum, qui objurgare liberos nonnumquam blandè, nunc verò minaciter ſolent, aliquando etiam ammonere verberibus. Neminem ob primam exheredauit offenſam, niſi multa & magna extarent crimina, niſi plus eſſet quod futurum timebat, quàm quod puniebat, nec ad ſupplicia vnquam exigenda peruenit, niſi cùm remedia conſumpſiſſet. Ita vir prudens ius ſibi conceſſum placidè ac ſalubriter diſpenſauit, vt illius hodie nomen non tantùm in Galliis, ſed & in gentibus celebretur exteris.

VIII. Quis enim Regum Chriſtianorũ audita illius magnanimitate non obſtupuit, non eius concupiuit colloquio frui, conſilio inſtrui? Nónne huic famoſiſſimus Rex Siciliæ ROGERVS Litteras miſit ſupplices & deprecatorias, ac munera deſtinauit? Nónne cognito poſt hæc pio eius peregrinandi deſiderio, illi præparauit occurrere? Potentiſſimus quoque Rex Anglorum HENRICVS nónne viri iſtius amicitiâ gloriabatur, & familiaritate gaudebat? Nónne hunc apud Francorum Regem LVDOVICVM mediatorem ſibi, & pacis vinculum conſtituerat? Ad quem pro vtriúſque Regni pace quotiens acceſſiſſet, Rex illi præter morem ſuum extra Palatium occurrebat, atque in eius properabat amplexus. quippe cuius colloquiũ qui-

quibuſuis præferebat opibus. Sed & DAVID religioſus Scotorum Rex exenia illi cum Epiſtolis familiaribus direxit, marinæ ſcilicet belluæ dẽtes miræ magnitudinis, & non parui precii. Vidi, Deo teſte, vidi aliquando huic in humili ſubpedaneo reſidenti Francorum Regem reuerenter aſſiſtere, Optimatum circumſtante corona, & hunc quaſi inferioribus præcepta dictãtem, illos verò cum omni diligentia & intentione ad ea quæ dicebantur ſuſpenſos. Quo finito colloquio, volentem illum Regem deducere, non eſt paſſus loco moueri, vel ſellâ conſurgere. Hæc ideò dixerim, vt ſciant æmuli, audiant obtrectatores, cuius apud Reges loci, quantæ reuerentiæ apud Optimates extiterit.

IX. HVNC cultor Religionis Comes Bleſenſium THEOBALDVS modis omnibus honorabat, hunc apud Reges Francorum Aduocatum producebat vnicum. Quotiens illi Andegauorum Comes, & Normannorum Dux GAVFREDVS, voto blandientis pariter & rogantis direxit nuncios, quotiens illi manu propria humiles ſcripſit litteras, in quibus, cùm eſſet acer ingenio, animo ferus ac præpotens, ſæpiùs illum ſuo nomini præpoſuit. Ambo itaque nominati Duces, cùm eſſent ſuo tempore potentiſſimi, huic Viro pro pace ſua referebant gratias, & Regnorũ concordiã ſpecialiter aſcribebant. Et certè, neſcio vtrum alicui Patrum præcedentiũ magis illa conueniat lectio, *Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliationis author.*

LIBER SECVNDVS.

PLVRA fortaſſè quàm æmuli cuperent de Viro venerabili ſcripſiſſe iam videor, nec deſunt quibus iſta, licèt veriſſima, nauſeam generent. Ipſe quoque hoc futurum præuideram. Sed his contentus non ero. Addam enim libentiſſimè, eò quòd ab illius memoriâ difficulter auellar: vt & qui non norunt, totum ſi fieri poſſit, eum agnoſcat; & qui norunt, recognoſcant. Scio enim quamplurimis, quicquid in eius laudem temptauero, fore gratiſſimum Non quòd eius opera vniuerſa & virtutes egregias ſcire potuerim, ſed ne illorum quidem aliquis, qui ante me longo illi adhæ- I.

ſerunt tempore è quibus hodie videntur ſupereſſe pauciſſimi. Iam quippe illi canis caput albeſcebat, quando me Celſitudinis ſuæ dignatus eſt conſortio. Quidni gratiam illi pro poſſe referam? quídni tanto eius nomini ſemper aſſurgam? qui hominem peregrinum, aduenam, & prorſus indignum, ſuo familiariter admiſit contubernio, & menſæ frequenter adhibuit. Vnde ſatis animaduerti datur, quòd penes illum acceptio perſonarum non fuerit.

II. Qvi vir glorioſus, quoniam pro publicis vel Regni vel Eccleſiæ vtilitatibus Monaſterio frequentiùs cogebatur abeſſe, de Fratribus conſtituerat viros probatos, & zelo diuino ſuccenſos, qui in grege ſibi credito doctrinâ & exemplis vicem ſupplerent abſentis. In quibus pro-

mouendis non genus reſpexit, non patriam; ſed quorum vitam probauerat, hos & promouit. Id ex eo licet perpendere, quòd HERVEVM magnæ ſanctitatis & miræ ſimplicitatis virum, licèt minus litteratum, Fratrum tamen Congregationi præfecit: non ignorans quòd ſcientia ſæpiùs inflat, caritas ſemper ædificat.

III. SIVE domi erat, ſiue foris, videres ad eum cuiuſque Ordinis & Religionis turbas conuolare. E quibus alii quidem corporum, alii verò animarum aliquod reportabãt ſubſidium. Nullus ab eo mæſtus, nullus vacuus recedebat. Quàm largus in pauperes, circa ægros quàm miſericors fuerit, tam remota quàm propinqua teſtantur Monaſteria. Quàm fuerit liberalis in omnes, in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

exteros, in ciues ſuos, ſufficienter nemo referet. Nónne indicium euidens eſt liberalitatis eius eximiæ, in Eccleſiæ Pariſienſi illud ex vitro opùs inſigne? Vnum quidem eſt, ſed non ſolum. Nam plurima huiuſcemodi extant illius opera, quæ pluribus in locis non tam ex debito fecit, quàm gratiâ. Quis vnquam ad eum iuſta poſtulaturus acceſſit, qui non ab eo hilarior abſceſſerit. Aut enim ope vota poſtulantium impleuit, aut ſpe melior conuenienter demulſit: pulcherrimũ iudicans omnia præſtare, nihil exigere.

IV. QVI cùm vnius tantùm Monaſterii Paſtor diceretur, & eſſet, omniũ pariter Eccleſiarum quaquauerſum in Regno conſiſtentium, continuam gerebat ſollicitudinem, & curam non modicam: has regens

conſilio, alias victus beneficio. Hoc ante omnia curás, ne alicubi videretur intepuiſſe Religio. Et indigentibus quidem annonas ſubminiſtrabat, aliis conſtruebat officinas, erátque ſpectaculum in conſpectu Angelorum hominúmque pulcherrimum: cùm vni omnes homini tanquam firmiſſimæ inniterrentur columnæ, omnéſque ex illo tanquam de fonte haurirent largiſſimo. Qué omnes tam pro ſe quàm ſupra ſe eſſe ſciebant, eiúſque curam pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum excubare quotidie.

QVANTVS in illo, Ieſu bone, vigor erat, quantum animi! Eo ſanè procedente, diffugiebant tyranni, abſcondebantur tenebrarum filii, & ad eum certatim confluebant filii lucis, & filii diei. Turbato Regno, V.

&, vt plerúmque fit, bellis emergentibus, hic erat concordiæ præcipuus indagator, & pacis reformator ſtrenuiſſimus. Erat Ceſar animo, ſermone Cicero: erátque rebellium domitor, & contumacium expugnator. De Viro iſto rectè quis dixerit.

----Illo incolumi, mens omnibus vna.
Amiſſo, rupere fidem.

Et vt audacter aliquid, ſed verè, loquar, tanta illius prudentia, tanta fuit animoſitas, vt illius regimini non æſtimem. Orbem vniuerſum potuiſſe ſufficere. Fallor, ſi non huic aſſertioni meæ eius atteſtantur propropoſitum & vota. quæ vt cœperat opere compleuiſſet, niſi mors æmula felicibus eius inuidiſſet actibus. Nam quod duo Reges fortiſſimi, Francorum videlicet & Romano-

manorum, coactis in vnum exercitibus, & collectis ex toto Occidente copiis, efficere neſcio quo Dei iudicio non præualuerunt; hoc iſte diuino ſuffultus ſuffragio, & ſingulari præcellebat ingenio, ſtrenuè ſupplere jam aggreſſus fuerat, ſicut ſequens declarabit narratio. Sed vereor ne rerum majeſtati fiat iniuria, ſi calamo tam agreſti deſcribanbur, & tenui. Interim autem de vitæ illius modo vel moribus adhuc addemus aliqua, quamuis cotidianam eius vitam, & verba ferè ſingula, commendatione conſtet eſſe digniſſima.

VI. Erat quidem corpus breue fortitus & gracile, ſed & labor aſſiduus plurimum detraxerat viribus. Victus tamen parſimonia, & ciborum qui gulam irritant modus, & dili-

gens ſui cuſtodia, ad ſenectutem eum Deo juuante perduxit. Cibus illius nec ſatis vilis, nec ſatis exquiſitus. Numquam de qualitate cauſatus eſt, numquam de apparatus genere. De ſingulis quæ apponebantur illi modicum quid præguſtabat, reliquum tranſmittebat pauperibus, ſine quibus numquam illum vidi refici. Eſu carnium numquam eſt vſus, niſi cùm illum corporis cœgiſſet infirmitas, & amicorum auctoritas compuliſſet Vinum non guſtabat, niſi priùs aquam largiſſimè miſcuiſſet. Æſtatis verò tempore, aquam puram crebriùs hauriebat. Qui cùm multimoda gratiarũ obtineret genera, vno tantùm caruit munere, quòd aſſumpto regimine numquam apparuit pinguior quàm priuatus extiterat: cùm

alii ferè omnes quantumuis antea fuerint tenues, poſt manuum ſtatim impoſitionem buccis & ventre, ne corde dixerim, ſoleant inpinguari. Omni tempore vel æſtatis vel hiemis, quoniam ſomno contentus erat breuiſſimo, poſt cœnam aut legebat, aut legentem diutiùs audiebat, aut conſidentes exemplis inſtruebat illuſtribus. Lectio quidem erat de Libris Patrum auctenticis, aliquando de Eccleſiaſticis aliquid legebatur Hiſtoriis. Narrabat verò, vt erat jocundiſſimus, nunc ſua, nunc aliorum, quæ vel vidiſſet, vel didiciſſet geſta virorum fortium, aliquotiens vſque ad noctis medium, ſicque modicum quieſcebat in cubili, quod nec nimis eſſet horridum, nec ſatis delicatum. Illud declinabat ſummope-

re, ne quicquam agere videretur, quod in habitu vel vitæ genere appareret notabile. Viro quippe bono ſimulationem iudicabat indignam, & ambitionem peruerſa, vt ait Stoicus, ſequi viã, minus arbitrabatur honeſtum.

VII. POST quietem experge factus ſomno, poſtquàm ſollemni more matutinorum celebraſſet officium, prima cotidie luce ad Eccleſiam feſtinabat. Vbi, antequam accederet ad altare, ſecus ſepulchra Martyrum prouolutus humiliter, Deo ſe totum in precibus mactans, ſubiecta pauimenta lacrimis humectabat: ſicque Sacerdos venerabilis tam deuotè quam celebriter ſalutares oblaturus hoſtias procedebat. Horâ verò ſanctiſſimi ſacrificii, quis dignè referat qua compunctione

ſuccendi, qua vbertate lacrimas vel gemitus, vt revera præſentem habens Deum, profundere conſueuerit? At verò in Natiuitate Saluatoris, vel Reſurrectione, ſeu ceteris præcipuis ſollemnitatibus, mirum in modum erat & deuotè feſtiuus, feſtiuè deuotus. Feſtinus ore, deuotus corde: adeò vt nullum penitus ſeculi negocium ad ſe ingredi permitteret, neque rerum triſtium, quantum in ipſo erat mentionem ad mitteret. aſſerens debere lætum tranſiri diem, & in Dei laudibus totum expendi. In quibus ſcilicet diebus ſi quando, vt aſſolet, nox ſuperueniens illum veſpertinis laudibus celeberrimè inſiſtentem deprehendiſſet, dicebat nihil referre vtrum laus diuina nocte conſummaretur, an die, dum illius eſſet nox, cuius &

dies tantùm ne præter morem celebritas videretur minorari in aliquo. Hic, ſicut ſcriptum legerat, ſtare fecit Cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ.

VIII. Erga Fratres infirmātes non aliter afficiebatur, quàm ſi carnaliter generaſſet ſingulos, quos in Christo Iesv ſpiritualiter ipſe genuerat. Quorum curationi & Medicos non modicis ſumptibus ipſe præuidit, & redditus annuos, vt ſuccinctè loquar, duplicatos ſua reliquit induſtriâ. Cuius rei cum teſtes extent, tū ego Fratrum minimus, eius pietati præceteris obnoxius. Nemo enim eius compaſſionem vberiùs, nemo liberalitatem profuſiùs ſenſit. Quæ

ob id cuncta ſeriatim non refero, ne vel inaniter de tanti viri gratiâ videar gloriari, vel faſtidium audientibus ſermo afferat incultior & prolixus. Dominus illi retribuat pro me,& opera miſericordiæ illius piè reſpiciat. Sed iam famulũ ſuum remuneraſſe Dominus, & peccata illius purgaſſe credendus eſt, cuius in æternum exaltauit cornu,(& gloriam dilatauit.

IX. QVI inter alia quæ nobiliter geſſit & ſtrenuè, varios de cunctis Regni partibus aſciuerat artifices, lathomos,lignarios, pictores, fabros ferrarios, vel fuſores, aurifices quoque, ac gemmarios, ſingulos in arte ſua peritiſſimos:vt ligno,lapide,auro,gemmis, & omni precioſa materia Martyrum memoriam exornarent, & ex veteri nouam,ex anguſta

latiſſimam, ex tenebroſiore ſplendidam redderent Eccleſiam. In quibus nec ſpes eum fefellit, nec fortunà deſtituit. Nam qualiter eius votum facultas juuerit, proſecuta ſit felicitas, noſſe cupientibus præclara clamant opera. Ornauit quoque Eccleſiam omni copia precioſæ ſupellectilis, vaſis ſcilicet aureis & argenteis, fialis ònichinis & ſardonicis, praſinis, criſtallinis, vel omni lapide precioſo, palliis quoque purpureis, cicladibus auro textis, & indumentis oloſericis: quibus addidit opera non contemnenda vitri, vel marmoris, & vaſa ſancta multiplicauit.

X. Extant magnorũ Virorum quamplures ad illum Epiſtolæ inter quos illi crebriùs ſcripſerunt, Petrus Abbas Cluniacenſis, & Bernar-

DVS

DVS Clareuallenſis, ambo vitâ & ſcientiâ, atque quod poſt iſta eſt eloquentiâ clariſſimi. quorum teſtimonio ſatis apparet, quàm clarus hic, vel cuius opinionis apud omnes vel propinquos vel remotos extiterit. Scripſit quóque idem Deo amabilis Pater Bernardus ſummo Pontifici EVGENIO breuem quidem Epiſtolam, ſed non breues viri iſtius laudes continentem: in qua illum aſſerit apud Ceſarem quaſi vnum de Curia fuiſſe Romana, apud Deum quaſi vnum de Curia cœleſti: non aliter quam Dauid ſanctiſſimum, in domo Dei ingredientem per omnia, & egredientem. Abbas nihilominus Cluniacenſis, conſideratis aliquando eius operibus & ſtructuris, cùm ad Cellulam reſpexiſſet breuiſſimam, quam ſibi ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

manendum Vir ſummè Philoſophus extruxerat, in hanc fertur altius ingemiſcens erupiſſe ſententiã.
„ Omnes, inquit, nos homo iſte con-
„ demnat, qui non ipſe ſibi vt nos, ſed
„ Deo tantùm ædificat. In omni ſiquidem amminiſtrationis ſuæ tempore nihil propriis ædificauit vſibus, præter humilem illam Eccleſiæ adhærentem Cellulam, decem vix pedes in latitudine, & quindecim in longitudine continentem. Quam decimo antequam decederet anno ideò ſibi ipſe ſtatuerat, vt vitam ibi recolligeret, quam in ſecularibus diu ſe fatebatur ſparſiſſe negociis. In hac itaque horis ſibi licitis lectioni vacabat, & lacrimis, vel contemplationi. In hac ſecularium vitabat tumultus, & declinabat frequentiam. Ibi, ſicut de ſapiente di-

ctum eſt, numquàm minus erat, quàm cùm ſolus erat: quoniam ad optimos quoſque, quocumque fuerint ſeculo, animum intendebat. Cum his illi colloquium, cum his ſtudium erat. Hîc illi quieſcenti pro pluma erat palea, pro mollitie lini ſubſternebatur lanea parum leuis lena: quæ interdieu honeſtis tegebantur tapetibus Illud lectorem ammoneo, me multa præterire de virtutũ numero, dum ſtudeo breuitati, & ad id, quod me paulò ſuperiùs promiſiſſe memini, breuiter narraturus accelero.

LIBER TERTIVS.

EO igitur tempore, quo Chriſtianiſſimus Francorum Rex I.

LVDOVICVS crucem poſt Dominum bajulans Hieroſolymam profectus eſt, initum eſt à Pontificibus Regni vel Proceribus generale conſilium, cui potiſſimùm ex Optimatibus vel perſonis Eccleſiaſticis, rerum ſummam & Regni oporteret committi gubernacula. Factúmque eſt Diuinitatis inſtinctu, vt omniũ vnanimis in hunc virum glorioſum conueniret ſententia. incitúmque illum ac ſatis renitentem rei publicæ amminiſtrationẽ & curam ſuſcipere compulerunt. Quam ille dignitatẽ quia onus eſſe potiùs quàm honorem iudicabat, quantum fas fuit recuſauit; nec ad ſuſcipiendum omninò conſenſit, donec ab EVGENIO Papa, qui profectioni Regiæ præſens affuit, cui, reſiſtere nec fas fuit, nec poſſibile, tandem coa-

ctus eſt. Verùm nemo æſtimet ipſius voluntate vel conſilio Regem iter peregrinationis agreſſum, in quo licèt illi longè aliter quàm ſperabat ſucceſſerit, pio tamen deſiderio, ac Dei zelo illud arripuit. Porrò prouidus hic & præſcius futurorũ, nec illud Principi ſuggeſſit, nec auditum approbauit. Quin potiùs cùm inter ipſa ſtatim initia obuiare fruſtra conatus, Regium cohibere non poſſet impetum, tempori cedendum adiudicauit, ne vel Regiæ deuotioni inferre videretur injuriam, vel fautorum offenſam inutiliter incurreret.

II. REGE igitur peregrè iam profecto, cùm vir egregius rerum dominio potiretur, cœperunt latrunculi per Regnum paſſim erumpere, & conceptas diu factiones proferre in

in publicum. ex Principis ſcilicet abſentia nati, vt ſibi videbatur, ſæuiendi licentiam. E quibus alii quidem Eccleſiarum & pauperum facultates, aperta diripiebant violentiâ, alii verò locis occultioribus latrocinia exercebant. In quorum vltionem Dux nouus gemino ſtatim accinctus eſt gladio altero materiali Regio, altero ſpirituali & Eccleſiaſtico: vtróque autem à ſummo ſibi Pontifice diuinitus commiſſo. In breui itaque iſtorum auſus temerarios compreſſit, átque illorum machinationes manu valida redegit in nihilum. Sícque illum per omnia fauor comitatus eſt diuinus, vt & incruentas de hoſte reportaret victorias, & de Regni integritate nihil penitus deperiret. Hoc modo Vir virtutis exteriùs leo, intrinſecus

Quia ſcil. Rex Lud. Regnum ſuũ in cuſtodia & protectione Eugenii ſummi Pontificis reliquerat

agnus, CHRISTO duce prælia Regni præliabatur pacificè. Videres de remotis Regni partibus, Lemouicos, Bituriges, Pictauos, & Guaſcones, in oportunitatibus ad illius ſe conferre præſidium: quibus nunc ope, nunc conſilio ita ſatisfaciebat in omnibus, vt à quouis Rege nihil ſperarent ampliùs.

AGEBAT præterea bonum patrem familias, ampliora faciendo quæ ſeruanda ſuſceperat. Si quidem & ædes reſtaurauit Regias, & ruinas murorum erexit & turrium. Nam quod fuit Palatium, quod regale ædificium, quod non aliqua ex parte melioratum Princeps reuerſus inuenerit? Et ne propter Regis abſentiam Regno quicquam deeſſet honoris, ab hoc milites ſolita conſequebantur ſtipen- III. VI.

dia, & certis diebus veſtes, vel dona regia. Quæ omnia conſtat illum propria potiùs munificentiâ tribuiſſe, quàm de Regis Ærario, vel re publica. Nam omnem pecuniam, quæ de fiſcis ſoluebatur Regiis, peregrinanti Regi aut tranſmiſit, aut reſeruauit, cogitans longè poſito plurima neceſſaria, & vt quæ reſeruarentur regreſſo non fore ſuperflua.

IV. HVIVS decreto Eccleſiaſtici vel dabantur honores, vel detrahebantur ſingulis: quippe cuius aſſenſu conſecrationem obtinebant electi Pontifices, cuius nutu ordinabantur abbates Abſque vlla inuidiâ ſine rubore aliquo ei ſubdebantur Epiſcopi, ei deferebant, ei parebant Eo vocante conueniebant, quando dimiſiſſet in ſua recedebant: gaudentes

tes quòd in Clero talis fuiſſet inuen-tus, qui Regni curam vnus pro omnibus ſuſtinere ſufficeret.

V. TANTÆ igitur eius probitati, & tantæ prudentiæ, ſummus congratulabatur Pontifex: adeò vt quicquid in Galiis decretum fuiſſet ab iſto, Romæ ratum haberetur, & quicquid ante hunc ſumpſiſſet initium, illic robur acciperet. Huic ſingulari familiaritate Papa ſcribebat EVGENIVS. Hunc ſuis frequẽter adhortationibus roborabat nil iam illi imperando iniungens, ſed vt verum fatear humiliter obſecrans. Hic ſibi fiducialiter injuncta ad implebat, ille cooperabatur auctoritate indulta. Et quæ Romæ terminari non poterant, ſæpè in iſtius præſentia condignum ſortita ſunt terminum. Quiſquis legeris

mutulas illorum Epiſtolas, & ſcripta crebrò diſcurrentia, facilè intelliget quanta fuerit alterius apud alterum reuerentia, quis honor, quæ fiducia.

VI. DEINDE cùm ante Regis reditum contigiſſet fratrem illius de Hieroſolymis reuerti, quidam ſtatim populares, qui ad noua facilè concitantur, cœperunt occurrere, vitámque illi cum Imperio imprecari, Sed & de Clero nonnulli, quia ſecus quàm vellent in Regno aliqua fierent, fœda illi cœperunt adulatione blandiri, & hunc Regii ſanguinis fiduciâ ad quædam illicita incitare: quorum hîc nomina idcirco ſupprimimus, ne quem ex deſtinato lædere videamur. Iuſtus autem vt leó confidens, huius præſumptione cognita, ne commiſſum

ſibi turbaret Imperium, ſicut aduerſus caſtra Dei doloſitatem fertur irritaſſe Græcorum, communicato cum fidelibus Regni conſilio, non priùs eius conatibus deſtitit obuiare, donec omnem illius tumorem prudenter compreſſit, & ad condignam ſatisfactionem eum compulit. Tanta nimirum eius erat fides, & tanta conſtantia, vt pro veritate vel iuſtitiâ, ſi res exigeret, mortem lætus exciperet. Cuius dum animum ex operibus perpendo, & ſalutem Principis & reditum huic quàm maximè aſcribenda crediderim. Nam & pro ſalute illius à Clero vel populo elemoſynarum fieri largitiones, & crebras ſtatuit letanias: ac de reditu ſollicitus, tam priuatis ſcriptis quàm publicis illum reuocare non ceſſabat; ſed & om-

nium commune deſiderium inſi-nuans & vota ſuſpenſa, moras arguebat inutiles.

VII. INTER hæc nemini mirum videatur, ſi huic viro accidit, quod contingere bonis omnibus conſueuit. Nemo, inquam, miretur, ſi labia iniqua, & linguam delatorum doloſam incurrit, à quibus nec Saluator immunis fuit. Famâ ſiquidem percurrente, quæ cotidie & de bonis mala, & de malis bona ſua facilitate confingit, quædam de illo Regiis ſuggeſta ſunt auribus, quæ Regis animum ſimplicem, & aliorum affectus ex ſuo mentientem aliquantiſper turbauerunt. Sed cum fidelium, & huius ſcilicet, & aliorum orationes Regi proſperum obtinuiſſent reditum, & illi Romam appropinquanti iam dictus

Romanus occurriſſet Pontifex, inter prima ſtatim mutuæ confabulationis verba, ita hunc Regi magnificè pro meritis Papa commendare ſtuduit, vt linguas obtrectantium prorſus confoderet, & mendaces illos oſtenderet, qui Virum egregium maculare, & ſplendorem illius obfuſcare conati ſunt. Ita factũ eſt, vt hũc inuidia non ſolũ non læderet, ſed & laudibus eius incrementa conferret. Nam Rex veritate comperta, & tam ex operibus quàm Papæ teſtimonio fide Viri cognita, cùm hunc ante profectionem plurimùm dilexiſſet, omni iam ſuſpicione ſublata, ampliùs poſt reditum vt dignum erat dilexit, & honorauit? Quidni diligeret? quídni omni honore dignũ haberet eum, qui rerum ſummam ſibi creditam

ſtrenuè & fideliter rexit, atque cum pace & integritate reconſignauit? Quidni præ cunctis ſe illi crederet, quem præ ceteris fidelem probauit? Dilexit re vera, dilexit, & quantum dilexerit probauit exitus. Nam, ſicut, norunt plurimi, & viuo & mortuo gratiã retulit. Ex illo jam tempore tam à populo quàm Principe PATER appellatus eſt PATRIÆ, & ab omnibus pariter maximis meritorum efferebatur titulis. Putabant plurimi hunc illi felicitatis gradum debuiſſe ſufficere, nec altiùs illum aſcendere poſſe proficiendo. Sed quemadmodum peſſimis quibúſque nullus eſt deſcenſionis gradus vltimus, ſic viris virtutum nullus eſt proficiendi finis vel terminus.

VIII. PER dies itaque ſingulos vir illuſtris angebatur animo, quòd ex illa

peregrinationis via nulla virtutis parerent veſtigia. Indignè etiam ferebat, quòd ex tânta Francorum militiâ alii quidem vel ferro vel fame miſerabiliter cecidiſſent, alios verò reuerti vidiſſet inglorios. Vnde ſatis erat ſollicitus, ne huius infortunii occaſione Chriſtiani nominis in Oriente deperiret gloria, & loca ſancta infidelibus conculcanda traderentur. Epiſtolas quippe tranſmarinas à Rege Hieroſolymorum vel Patriarcha Antiocheno acceperat, quibus illum ad ſubueniendum ſibi lacrimabiliter inuitabant: aſſerentes, occiſo Principe Crucem Saluatoris intra Antiochiam à Saracenis incluſam, vrbémque, niſi celeriùs ſibi ſubueniretur, deditioni proximam. Hiſdem nihilominus diebus EVGENIVS Papa ſcripta illi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

direxit Apoſtolica, & pro reuerentia obſecrans, & pro auctoritate, imperans, vt ſecundum datam à Deo ſibi ſapientiam Orientali Eccleſiæ ſubueniendo conſuleret, & Chriſtianorum quibus poſſet modis auferret obprobrium. Hac igitur prouocatus neceſſitate, præſertim cùm illum & Apoſtolica iuſſio vrgeret, & roboraret auctoritas; iniit cum pietate conſilium, qualiter & periclitātibus opem ferret, & injuriam Crucis in nefarios retorqueret. Et Regi quidem Francorum parcendum iudicans, vel reuerſæ nuper militiæ, quòd vix paululum reſpiraſſent, conuocatos ſuper hoc negocio Regni conuenit Epiſcopos: exhortās illos & animās ad præſumendam ſecum victoriæ gloriam, quæ potentiſſimis Regibus

bus non fuiſſet conceſſa. Quod cùm fruſtra tertiò attemptaſſet, accepto guſtu formidinis & ignauiæ illorum, dignum nihilominus duxit, ceſſantibus aliis præ ſe laudabile votum implere. Quam videlicet magnificam deuotioné ſuam ad tépus occultare maluiſſet propter incertos exitus, ſiue vt jactantiam declinaret. Verùm ingens illam prodidit apparatus. Nam exindè cœpit ſatagere, vt per manus ſacri Templi Militum ſumptus tantę rei neceſſarios Hieroſolymam præmitteret; ex his ſcilicet redditibus, quos proprio ſudore vel ſollertiâ Monaſterio adjecerat. Vndè rectè nullus indignabitur, ſi attenderit quantum illius ſtudio omnes Eccleſiæ poſſeſſiones in redditibus creuerint: quot etiam prædia adquiſita, quótue Ec-

cleſiæ temporibus illius Monaſterio ſint addita. Porrò omnia faciebat ſpecie quidem, quaſi pro ſe alios pararet dirigere: re autem vera, ſi daretur vita comes, per ſe ipſum profecturus, & propoſitum aggreſſurus. Sperabat adiutorem ſibi fore omnipotentem, qui in paucis æquè vt in multis conſueuit dignis præſtare victoriam. conſiderans in talibus conſilio opus eſſe potiùs quàm viribus, & prudentiam quàm arma magis neceſſariam.

IX. ITEREA dum de profectione deliberat, dum ad pium certamen inceſſanter anhelat, decreuit cordium inſpector Altiſſimus, apud quem voluntas pro facto reputatur, decreuit, inquam, ante congreſſionem athletam ſuum coronare, & ſeni parcere glorioſo, qui

plures iam & varios pro illo agones dimicaſſet. Domino igitur illum ad ſe euocante, leui correptus eſt febricula. Vidimus, mi GAVFRIDE, vidimus ſenem, ſed animo vigentem & viridem, cum valitudine & imbecilli corpuſculo aliquandiu colluctantem. Vidimus aliorum manibus ſuſtentatum frequenter ſacras hoſtias immolantem, donec ingraueſcente morbo, & viribus minoratis, lecto applicitus eſt. quod ſine dolore non vidi, ſine gemitu non eloquor. Cúmque intellexiſſet hanc eſſe vocationem ſuam, & diẽ ſibi imminere vltimum, æquo animo & alacri tulit conditoris arbitrium: lætus, vt ait, quòd ex hac quaſi fouea in illud aliquando euaderet liberum & ſublime. Nónne ſpiritu hoc præuiderat, quandoq Tu-

ronis ad ſepulchrum eximii Confeſſoris eodem anno orandi gratiâ profectus eſt? migrandi vtique petiturus licentiam, & vt nobis aſſerebat, valè illi dicturus vltimum. Vbi etiam ad Sancti tumulum ſolita liberalitate viſus eſt egregij operis veſtem obtuliſſe ſericam.

X. ILLVD tantùm moleſtè videbatur ferre, quòd deuotionis ſuæ propoſitum alius ſuſciperet, ſegniùs vt timebat peragendum. Ne ergo votum ſuum prorſus infectum relinqueret, elegit ex nobiliſſimis Francorum Proceribus virum & animo & viribus in re militari experientiſſimum, & quem vice ſua mitteret aptum, eò quòd ad cœleſtem Hieruſalem vocatus ipſe præiret. Cui cùm & opus ſuum & votum impreſſa cruce iniunxiſ-

ſet, impenſas quoque quas præmiſerat conceſſit: quæ illi videlicet, & non paucis militibus, ad impugnandos perfidos, & vlciſcendas cœleſtes iniurias longo tempore ſufficerent.

Ex illa denique die cœpit horam vltimam hilarior expectare nec, trepidabat ad extrema, quia vitam conſummauerat ante mortem, nec pigebat eum mori cùm iuuaret viuere. Libens exibat, quoniam emiſſo ſibi ſciebat meliora reſtare. Nec putabat exeundum viro bono ſicut exit qui eiicitur, qui inuitus expellitur. Erat itaque in conſpectu mortis alacer, & promittentibus vitam, Deum teſtor, magis indignabatur quàm morti. Qui mirum in modum eo vultu eodemque animo ſpectabat finem ſuum, XI.

quoquis finem ſpectare ſolet alienum: quem non exciperet tam hilariter, niſi ſe diu ad illum præparaſſet. Quomodo quidam rogare ſolent vitam, ita ille optabat exitum: quia benè viuendo egerat vt ſatis vixiſſet, nec quamdiu ſed quàm benè viueret ſemper attenderat. Qua videlicet valitudine quatuor menſibus vel eò ampliùs detentus agebat Omnipotenti gratias, quòd non repentè auulſus, ſed ſubductus paulatim perduceretur ad requiem, homini fatigato neceſſariam. Qui cùm ſe circa natalem Domini diem acriùs ſenſiſſet vrgeri, cœpit inſtanter à Domino poſtulare, vt eius pauliſper differretur tranſitus, donec ſcilicet dies tranſiſſent feſti, ne propter illum ex feſtis conuerterentur in mœſtos.

In quo manifeſtè à Domino viſus eſt exaudiri. Nam expletis ſacris diebus octaua Epiphaniorum die migrauit ad Dominū, apud quem, vt credi, decet poſt octauam iam agit continuam. Et meritò qui præ cæteris mortalibus vel Domini vel Sanctorum conſueuerat feſtiuitatibus delectari, feſtis credendus eſt intereſſe perhennibus.

Ecce dum tibi parere volo, XII. Gavfride, multorum me morſibus lacerandum, multis ridendum expoſui. Nempe ſcio non defuturos, qui me præſumptionis arguant, quòd nobilem occupauerim materiam, eximijs illuſtrādam præconibus. Et quidem diu expectaui, ſperans aliquem fore, qui meritis optimi Viri vicem rependeret. Sed dum tepidiùs quidam

agunt, elegi vtcumque ſcribere, quàm ingratitudinis vel neglígentiæ notam incurrere. Si cui viſus fuero reſpectu meritorum pauca ſcripſiſſe, cogitet me ipſa breuitate modernis conſuluiſſe lectoribus. Qui verò cauſatus fuerit modum me in ſcribendo exceſſiſſe, legat quæ idem ſcripſit Geſta Regia, legat ſi libet Scripta de toto illi Orbe directa, & cognoſcet longè citra rerum eminentiam me deſiſſe. Sola me æſtimo fundamenta iecisse, in quibus celſiores aliquando ſurgant ſtructuræ. In ſilua denſiore informem & modicam deieci materiem, electorum artificum manibus formam quandoque ſuſcepturam.

XIII. Reliqva, quæ ad eius ſpectant tranſitum, quàm gloriosè

tranſierit, qui tam laudabiliter vixit, quam laudabiles fuerint exequiæ, quàm celebres perſonæ interfuerint ſepulturæ, Epiſtola illa, quam te rogante de eius exceſſu edidi, ſcire cupientibus pleniùs oſtendet. Denique ô felicem te, felicem quoque & me, quibus datum ſit & viuo & mortuo miniſtrare, quorum manibus precioſa iam exanimato corpori ſunt infuſa balſama! Nunc quod optandum reſtat, vtinam noſtri memor ſit; & pro nobis oret qui nobiſcum orare conſueuerat, vt cuius conuictu gauiſi ſumus, orationibus fulciamur! Et quidem ſi hunc benè nouis, ita vt nunc eſt æternis immixtus gaudijs, ſui nominis officium implere non deſinit. Nam qui nobiſcum adhuc poſitus Principum Celſitudini pro ſubdi-

tis ſuggerebat, nunc quoque pro deuotis & ſupplicibus conſpectui Diuinitatis ſuggerendo SVGGERIVS aſſiſtit. Si enim, cúm adhuc mole premeretur corporis, tantam pro Fratribus gerebat ſollicitudinem; quid nunc agere credẽdus eſt, quã-do carnis ruptis vinculis ad plenam libertatem perductus euaſit? Haud dubium quin illius modo preces Dominus clementer admittat, qui Domini præcepta & attentè audi-uit, & diligenter impleuit.

DE SVGGERII ABBATIS EXCESSV,

EPISTOLA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OMNIBVS *fidelibus vbique in* CHRISTO *conſtitutis, humilis beati* Dionyſij *Conuentus ſalutem, & pro ea quæ in præſenti poſtulatur, æternam in cœlis conſequi conſolationem.* REVERENTISSIMI, & piæ recordationis SVGGERII Abbatis glorioſum de hoc mundo tranſitum ſanctæ vuanimitati veſtræ dignum duximus intimare: vt in dolore, quo inæſtimabiliter conſternati ſumus, à caritate veſtra remedium aliquod ſolatij reporte-

mus. Quia enim vnius capitis omnes ſimul & ſinguli membra ſumus, conſtat quia mutuæ compaſſionis inuicem debitores exiſtimus. Itaque licèt memoratus, & omnibus ſeculis memorandus Pater pro ſingulari ſapientia, pro ſtrenuitate & induſtriâ ſua Orbi penè vniuerſo innotuerit, tamen quod ad nos attinet ſolliciti ſumus, ne immenſis tanti Patris beneficijs & meritis ingrati & immemores appareamus. Non quòd omnia egregia eius facta vel laudes hac breui ſcedula plenè poſſimus comprehendere. Quippe quibus explicandis non paruo volumine, vel mediocri ingenio opus ſit. Nimirum cùm & fama minor meritis, & laus virtutibus impar exiſtat. Quis enim eius vitam digno poſſit efferre præconio? Quis

illius à iuuẽtute magnanimitatem, & tam in rebus Eccleſiaſticis quàm & ſecularibus ſatis poſſit mirari prudentiam? Cuius circa diuinum cultum vigilantiam, circa Eccleſiæ ornatum inſtantiam, nemo ſufficienter referet. Cui præcipua ſemper fuit intentio vel ſtudium, vt nobile beati Dionyſij Monaſterium omni gloriâ & honore attolleret, religiosè ordinaret, & Eccleſiam redditibus opulẽtam, ædificijs ampliorem, ornamentis decoratam redderet. Cuius rei luce clariora extant iudicia, vſque in finem ſeculi permanſura. Vndè nunc veraciter & ſecuré Domino decantare poteſt: *Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Acumen ingenij, linguæ nitor, litterarum ſcientia, dictandi ſcriben-

dique peritia, ſimul & ſingulariter in eo reſplendebant: vt vix aliquis ſciret, quid horum in illo potiſſimùm emineret. Cùm id magis in illo mirabile videri poſſet, quòd non lentè, non anxiè, ſed eadem penè qua loquebatur celeritate ſcribebat. In ipſo non ſolùm naturalis memoriæ felicitas vigebat, ſed & ars ſumma comprehendenda quæ opus eſſet & cuſtodienda: adeò vt quæcumque egregiè dicta vel audiſſet aliquando, vel ipſe dixiſſet, loco & tempore in promptu haberet. In quo ſobrietas adeò viguit, vt nemo diſcerneret vtrum ante cibum, an cibo ſumpto, magis eſſet ſobrius. Ceterùm vt multa breuiter comprehendantur, quantæ virtutis vel opinionis vir iſte in toto Regno habitus ſit, vna hæc res

teſtis extitit, quòd Rex LVDOVICVS Hieroſolymam proficiſcens, conſilio Pontificum & Procerum expertæ illius fidei & ſollertiæ Regnum ſpecialiter regendum commiſit. Quod ille duobus fermè annis iuuante Deo ita amminiſtrauit, & rexit, vt Principi reuerſo commiſſa ſibi reſtitueret integra. Sed & ſummus Pōtifex EVGENIVS, quotiens aliqua in Regno grauiora emerſiſſent, cùm ad ipſius audientiam fuiſſent perlata, iſtius probatæ diſcretionis ſæpiùs terminanda remiſit. Qui cùm inuitus & coactus Conſilijs Regum intereſſet & Principum, hoc, vt fatebatur, non ſine magno mentis grauamine ſuſtinebat vt pupillis, vt viduis, vt quibuſcumque pauperibus & iniuriam ſuſtinentibus o-

pem ferret: & præcipuè, vt commiſſæ ſibi Eccleſiæ, vel cæteris in Regno conſtitutis, apud Principem in opportunitate ſubueniret. His itaque tantis ac talibus Viri magnifici bonis in quendam mentis exceſſum elati, ſemper eum optabamus ſuperſtitem, credidimus vitâ digniorem, & ideò plagam excepimus, quam vix ferre poterimus. Et quidem ſi pietati imperare poſſemus, lætandum nobis erat magis quòd talem Patrem habuerimus, quàm dolendum quòd talem præmiſerimus, quo nos quandoque ſequuturos non dubitamus. Non enim nobis ereptus eſt, ſed periculis, nec tam vitam amiſit, quàm feliciter commutauit. Verùm quia à conditione moriendi nemo excipitur, cùm vir venerandus ea valetudine,

tudine, qua & mortuus eſt, vexari cœpiſſet, Fratrum manibus ſuſtentatus in Conuentum ſe deduci popoſcit: vbi poſt verba exhortationis, cum lacrimis & gemitu omniū pedibus prouolutus, quia communis Domini iudicium formidabat, Fratrum ſe iudicio humiliter expoſuit. Lacrimabiliter poſtulans, vt quod in eos deliquiſſet, vel egiſſet negligentiùs, reſpectu pietatis ei relaxarent. Quod Fratres omnes maxima cum deuotione, & copioſa lacrimarum effuſione, gratiſſimè fecerunt. Ipſe quoque negligentiores quoſque, qui pro quolibet reatu ligati cernebantur, cuicumque ſubiacuiſſent ſententiæ, vltrò & clementiſſimè abſoluit, atque omnibus tam remotis quàm præſentibus in gratiam rediјt, ac priſti-

nis eos officijs & gradibus reſtituit. Denique quantum in ipſo fuit, multis precibus vt à cura paſtorali prorſus abſolueretur, concupiuit & petijt. Sed huius petitionis aſſenſum à Fratribus extorquere nullatenus potuit. Poſt aliquantum verò temporis cùm ſe morbo acriùs videret fatigari, vt exitum ſuum imminere tam propria quàm Medicorum ſententiâ intellexiſſet, familiares ſuos, dompnum videlicet Sueſſionenſem, Nouiomenſem, & Siluanectenſem, venerabiles ad ſe aſciuit Epiſcopos: quorum teſtimonio vel conſilio Domui ſuæ ipſe diſponeret, quorum munitus ſuffragijs tutiùs de hoc ſeculo migraret. His cotidie aſſidentibus humiliter ſibi nunc ſigillatim, nunc ſimul omnibus quicquid conſcien-

tia metuebat, cum multis confitebatur lacrimis. His fidem integram frequentiùs expoſuit, abhis quicquid ſibi iniunctum eſt deuotus impleuit, & ex eorum viciſſim manibus per quindecim ferè ante exitũ ſuum dies ſine intermiſſione Dominici corporis & ſanguinis Sacramenta ſuſcepit. Sicque totus ad Dominum conuerſus, tam diebus quàm noctibus Pſalmis vel Sanctorum nominibus per ordinem inuocandis ſollicitus intendebat. Fratres quoque omnes indeſinenter hortabatur paci ſtudere, vnitatem ante omnia ſeruare: ſcandala, ſeditiones, vel ſciſmata omni ſtudio fugere, Ordinis conſeruationi & diuino cultiui, ſeu Sanctorum venerationi diligenter monebat ntendere. Tranſijt autem idem de-

ſiderabilis Pater, & Paſtor egregius, inter verba Dominicæ Orationis & Symboli, die Iduum Ianuarij, ſeptuageſimo ætatis ſuæ anno: à ſuſceptione autem Monaſtici habitus fere ſexageſimo, Prælationis verò ſuæ vigeſimo & nono anno. Tranſijt, inquam, plenus tam dierum quàm virtutum, in cœlo Sanctis exultantibus, in terra verò omnis ſexus vel ætatis, omnis gradus vel ordinis fidelibus mœſtis & plangentibus Cuius ſepulturæ & exequijs pro perſona vel loci dignitate celeberrimis, Dei nutu interfuerunt ſex Epiſcopi venerabiles, & Abbates ſeu alij Religioſi Viri quamplurimi. qui deuotis orationibus Deo ſpiritum, terræ corpus ſolemniter commendarunt. Chriſtianiſſimus quoque Rex LVDOVICVS cùm

longiùs abeſſet, accepto obitus illius triſtiſſimo nuntio, pro familiaritate & amore quem ad inuicem diutiùs habuerant, negociis omnibes intermiſſis, cũ præcipuis Regni optimatibus accelerauit exequiis intereſſe: vbi & pietatis memor, & Regiæ celſitudinis immemor, amariſſimè dum ſepeliretur flere non deſtitit. Vnum procul dubio conſtat, non potuiſſe ſcilicet illum non gloriosè conſummari, cuius tota vita præceſſerat glorioſa. Vndè diuinitus prouiſum eſt, vt & tranſitum eius Pontifices conſecrarent, & ſepulturam ſua præſentiâ Rex inſigniret. Sed & ſacri Templi Magiſter cum non parua ſui Ordinis militiâ affuit; qui precibus & lacrimis, vel quibus modis poterant, dilectam ſibi animam Domino com-

mendabant. Nos verò vitæ ipſius ſuperſtites, quod ſine ipſo ſolatium capiemus? Qui ſolus conſolari mœrentes ſolebat, excitare lætitiam; fugare, mœſtitudinem? Quomodo carere poterimus tanto vitæ comite, tanto curarum & laborum leuamine? Quid boni ſanitas habeat, languor oſtendit. Plus ſentimus quid habuerimus, poſtquàm habere deſinimus. Vnus ipſe erat nobis, in quo domeſtica ſollicitudo reſidebat, & cura quieſcebat publica. Vnus nobis erat & domi ſolatio, & foris honori: Verùm ingrati de trãſlato eſſe non debemus, quia quod naturâ communis erat perſoluit, quod gratiæ ſingularis à Chriſto percepit. Quomodo autem vnquam poterimus de ipſo non cogitare, aut aliquando eius reminiſci

ſine lacrimis & dolore? Quamuis vniuerſorum gaudijs proſequendus ſit, qui calcata morte coronam iam ſecuritatis accepit. Poterimus vnquam aut tanti non meminiſſe Patris, aut ſine lacrimabili quadam meminiſſe gratiâ? Sed hæ nobis recordationes etſi dolores innouant, voluptatem tamen afferunt. Quem ſi lugere cœperimus, de ſalute fortaſſis minùs ſperare videbimur. Si lacrimas omninò continuerimus, impietatis & ingratitudinis non immeritò arguemur. Cuius caſum, quo nobis eſſet tolerabilior, nec præmeditari potuimus. Ita pauebat animus tale aliquid de illo cogitare, non quò conditionem ignoraremus ſed quia de illo niſi ſecunda omnia cogitare non didiciſſemus. Raptus eſt autem, ne malitia im-

mutaret cor eius, quoniam Deo placita erat anima illius. Dormiuit in Domino, & appoſitus eſt ad patres ſuos, enutritus in ſenectute bona. Reuerſa eſt terra in terram ſuam, ſed ſpiritus aſtra petiuit, ab illo coronandus, & electorum numero ſociandus, cui dum in carne eſſet miniſtrauit, & fide militauit integra.

DVM meriti morumque Viri, vitæque recordor,
Vt pote virtutum conſcius atque memor:
Ipſe licèt ſileam, quamuis mihi nota recondam,
In lucem tamen hæc efferet vna diès.
Hæc natura boni. vis hæc non poſſe latêre,

In

In medium venient quæ latuêre diu.
Viuendi formam meritò mortalibus illum
Æſtimo directum cœlitus, atque datum.
Ingentes animos in tali corpore miror,
Et bona tot claudi tantaque vaſe breui.
Sed ſatis hoc vno voluit natura probare,
Virtutem quauis ſub cute poſſe tegi.
Tullius ore, Cato meritis & pectore Ceſar,
Conſilio Reges, Regna regebat ope.
Quodque Cato Romæ, quod Scipio præſtitit olim,
Hoc ſolus patrio præſtitit iſte ſolo.
Quas laudes tibi, quos titulos, qualeſue triumphos
Abba Pater poterit grex reſonare tuus?
Optime SVGERI, *quid reſpectu meritorum*
Dicetur dignum? laus erit iſta breuis.
Sed cœlũ tibi pro meritis applaudit, & Orbis,
Et celebrat laudes Gallia tota tuas.
Arriſêre tibi naſcenti ſydera ſeptem,
Proſpectuſque fuit viſque ſalubris eis.
Theſauros tibi larga ſuos natura parauit,
Expanditque tibi Philoſophia ſinus.
Nec tibi ſucceſſus lætos fortuna negauit,
Fata dedêre boni quidquid habere ſolent.

Digitized by Google

Digitized by Google